25480

# LIBELLVS HOSPITALIS MVNIFI
# CENTIAE VENETORVM IN
# EXCIPIENDA ANNA RE
# GINA HVNGARIAE
# PER ANGELVM
# CHABRIELEM
# COMPOSI
# TVS

✠

Angelus Chabrielis Sebaſtiano Iuſtiniano equiti Sal.



Vanq̃ me noīe negligentiæ merito accuſare potes / quod tāto tp̄is ſpacio / quo abſens ab urbe fuiſti / dū reipub. noſtræ noīe / apud Ladiſlaū Sereniſſimū Hungariæ atq̃ Boe/miæ regē legatiōe fungeris / nihil ad te dederim lr̄aꝝ: Preſertim cū pro mea ueteri erga te obſeruātia atq̃ beniuolentia deeſſe tibi in hoc officio minime debuiſſem: Hac tamen excuſatione tecū uti poſſum / me haud ſane ulla amoris atq̃ beniuolētiæ in te meæ obliuiōe / aliquod erga te officii genus prætermiſiſſe: Sed quia ſciebam te uariis ac multiplicibus curis ī iſto tuo munere obeūdo uſq̃ adeo eſſe implicitū: ut uererer / ne lr̄æ meæ tibi potius faſtidio eſſent / q̃ uoluptati: Cum certe nihil mihi hactenus cōtigiſſet / quod dignū eſſe uideret᷑ / ut tā occupatū hoīem offēderet: Et illud etiā me in ſcribendo negligētiorē effecit / quod quottidie ſi/mul erā cū fr̄ibus tuis / q̄ me ut ſcis ſūmo amore diligūt / & ꝓſequunt᷑ / a q̄bus ſemp̄ omnē reꝝ tuaꝝ ſtatū / pro ut eis in diē lr̄is tuis ſignificaueras / intelligebā. Nūc aūt ne tā diu ab officio deficere uidear / qui ſi diutius ſilentiū tecū continerē / nullū poſthac excuſationis locū mihi relinquerē / Decreui / ut tibi cumulate pſoluerē / q̄d deberē / facere in morē illoꝝ / qui cōflatū æs alienū / cū ad p̄ſtitutū diē nō repreſentauerūt / fœnus poſtea ſup̄ uſurā rependūt / Deſcribere breuiter tibi ho/nores triūphoſq̃ oīs / qui p̄ Venetū Senatū p̄biti ſunt / Annæ Reginæ Sereniſſimæ Regis iſtius Illuſtriſſimi ſponſæ / quæ nup̄ per Venetos fines / & Venetam urbē iter fecit: Quæ q̄dē materia / licet incōdito atq̃ ſolutiori ſtilo / ut pote quæ ꝓpere ac feſtināter effluxit / cōpoſita ſit a me iāpridē a ſtudiis lr̄aꝝ feriato / ut tibi potius gratificarer / q̃ ut mihi ullā laudē q̄rerē:

Tñ nó ingratã idcirco fore tibi exiſtimaui:Primũ qa res nudæ ac ueræ a me poſitæ ſunt/nullo politurę fuco/ ſub conti/nuata dierꝶ ſerie / pro ut ſingulis locis/nó tã ĩ Veneta urbe in qua Regina cómorata eſt p aliquot dies/q̃ in aliis Venetæ ditionis ciuitatib9/ ſingula quæq; acta fuerũt:Deinde qa tã mira/tam pulchra/tã uaria tã noua/cuiuſcũq; generis ſpectacula ædita ſunt/ut facile mihi pſuadeã/te ſaltẽ aliqd uoluptatis pcepturũ/uel ſi hæc legeris:Nã q̃q̃ oíno ípar gratia ſequat᷑/inter res quæ audiunt᷑/& quæ uident᷑ oculis/nõ paruã tamẽ nobis afferũt uoluptatẽ/ea etiã quæ cõdita ſunt lr̃aꝶ monumentis: quæ porro nos legẽtes ita qñq; afficiũt/ut nó legere/ſed hau/rire oculis/& intereſſe rebus ipſis uideamur.Cæteꝶ tanto cũ apparatu atq; triũpho Regina hæc ſuſcepta eſt/ut certũ qdẽ ſit/nũq̃ alias ciuitatẽ noſtrã in ullo principe aut rege ſuſcipiẽdo/tãtũ q̃tũ nũc auri effudiſſe:quæ qdẽ ſicut facile oẽs Italiæ ciuitates in his muneribus peragẽdis ſupat:Ita nũc maxime oíum expectationẽ uicit/ atq; ſeipſam ſupauit:quæ tñ ſi plus honoris ipſi impendere potuiſſet/nullo certe labori/ aut ſum/ptui pepciſſet/ nec ipſas etiã ſuoꝶ ciuiũ aías in diſcrimẽ po/nere recuſaſſet:Nã tãta eius eſt beniuolentia atq; obſeruãtia/ erga iſtũ inuictiſſimũ regẽ/iãpridẽ cũ aliis illuſtriſſimis Pannoniæ regibus inita/& nũc p̃ſenti fœdere/ quod cũ ipſo habemus confirmata/ut nullũ tã amplũ honoris aut officii genus eſſe uideat᷑ / quod nõ ipſi pro ſuis ingentibus erga rem pub. noſtrã meritis debere exiſtimet.Sed ne iã epiſtola modũ ex/cedat/ tempeſtiuũ utiq; erit/ ſingula quæq; pro ut cõſtitui ad ſuũ diem/ uelut ad ephemeridas referre:atq; ordinem ipſum rerum ſequar / ſumpto inde mihi principio.

u Bi primũ Regina ingreſſa eſt Venetos fines/q dies fuit Pridie Idus Iulii/ Cremenſis ciuitas oís ei obuiã effuſa Senatus nr̃i decreto pgredit᷑:atq; omniũ primi ipſius urbis

ꝓceres equeſtriſq; ordinis uiri/ ſimul cũ collegio doctoꝝ ho/
minũ ac ſacerdotũ/ eã reuerẽter benigneq; ſuſcipiũt: Ipſe ur/
bis p̄fectus Senatus noĩe uerba fecit / deinde ipſam equo al/
bo inſidentẽ gẽmis auroq; redimitã ſub umbella aurea collo
catã/ quã ſex equeſtris ordinis uiri principes ciuitatis ferebãt/
in urbẽ diei hora duodecima pducunt: cui anteq̃ mœnia in/
grederetꝰ nobiliſſimæ quæq; fœmine/ ex equis & curribus de
ſiliẽtes obuiã fiunt/ & ante eius pedes uenerabũdæ ꝓſternũtꝰ/
quã qdẽ cũ uellẽt pedibus comitari/ Regina iuſſit equos aſcẽ
derẽt/ atq; ita urbẽ ingreditꝰ: quæ tapetibꝰ atq; auleis quacũq;
illa incederet ornata erat/ effuſis paſſim floribus per oẽs uias/
p̄cinẽtibus tubis ac tibicinibus/ cũq; alio ſymphoniaco cõcẽ
tu/ ac maximo oĩum plauſu tẽplum ciuitatis cultiſſimũ adit:
ubi pactis ſolẽnibus gratiaꝝ actionibus/ ad domũ/ quæ ei an
tea regio ornatu parata erat/ tendit/ in qua epulæ magnificẽ/
tiſſimæ pub. Venetoꝝ ĩpenſa inſtruxerãt: qbus ſublatis/ refe/
ctiſq; cibo potuq; oĩbꝰ/ nobiliſſimi atq; pulcherrimi iuuenes
puellis ĩmixti matroniſq; magna cũ uoluptate ſpectãtiũ ſal/
tauere/ ſaltãteſq; cantu cõcinuerũt/ ac demũ uaria ludicra per
illũ diẽ acta ſunt: Cũ aũt adueſpaſſet/ rurſus epulæ inſtruũtꝰ/
ac rurſus ludicra oĩa inſtauranꝰ / donec iã fatigatos ſomnus
exciperet / qua nocte trãquilliſſime peracta: ſequẽti die hora
nona Regina diſceſſit/ quã uniuerſa ciuitas eſt comitata/ atq;
ad Vrceos nouos progreſſa eſt: quod oppidum diſtat ferme
milibus paſſuum quinq; et decẽ ab urbe Crema: quo itẽ loco
Brixiæ magiſtratus / oĩa ubertim ad Reginæ uſum lautiſſi/
me parauerãt/ ac etiã alter ipſoꝝ hactenus ipſi obuiã uenerat:
Sũpto prandio quod fuit diei reliquũ ibidẽ p ociũ inter ua/
rios luſus trãſegit. Quintodecimo cal. Auguſti hora tertia/
decima urbem Brixiã eſt ingreſſa/ ab oĩbus ciuitatis ordini/
bus/ & ab ipſo ſacerdotum collegio comitata/ in quibus ipſe

urbis Antiſtes cũ uniuerſo clero aderat:qui ſimul cũ p̃tore urbano aliquot milia paſſuũ ab urbe ꝓceſſerãt / ſub umbella aurea/atq; ſtipata ingẽti hoĩum caterua:ubi tã honorifice ex cepta ẽ/q̃ eius urbis opes/quæ ĩter primas Italiæ urbes haud paruæ eſſe cẽſent̃/ferre potuerũt:Eo in loco bidui morã tra/ xit / quo tpe nihil a clariſſimis illis ciuibus atq; urbis p̃ſidi/ bus eſt p̃termiſſum/ quod cõgruũ regiæ celſitudini/ atq; eoꝝ dignitati eſſe uideret̃:Nam choreas & tripudia inſtituerũt/ & ſpectacula uarii generis ediderũt/ inter quæ pyrrhicæ fu/ erũt ſaltatiões/& uariæ fabulaꝝ repñtatiões/ partim a doctis latino ſermone / partim lingua uernacula actitatæ. Quarto decimo calẽdaꝝ die/ad Dezenzanũ oppidũ uenit/in ipſa be/ naci laccus ripa ſitũ/ quod a Syrmiõe peninſula Catulli poe tæ patria/quã quõdã clariſſimus ĩter Romanos ciues Lucul/ lus impator cunctis aliis Italiæ locis cœli gratia p̃tulit/ diſtat ferme milib9 paſſuũ q̃nq;:ubi nõ tã pro loci illius tenuitate/ q̃ pro regiæ maieſtatis faſtigio ſuſcepta ẽ:Cõuiuiũ.n.lautiſſi mũ publico ſumptu oppidani parauerũt/uariis carniũ ac pi ſcium generibus/q̃ plurimi atq; optimi ex ipſo laccu ferunt̃: ſumpto prãdio regina parũp interqeuit/deinde piſcatũ ꝓdiit/ in qua ſane piſcatione/magna copia capta eſt piſciũ:frequẽ/ res.n.undiq; piſcatores p̃ſidũ Brixienſiũ iuſſu cõuenerãt/qui oĩa ad tẽpus inſtrumẽta piſcationi cõgrua uelut in ꝓcinctu habuerunt:Ad hæc ipſe laccus eius aduentu lætari quodã/ modo/ & gaudere ſecũ uidebatur:atq; ipſi piſces capi regiis manibus geſtiebãt. Inſequẽs dies Piſcaria eam recepit/quod item oppidum ſitũ eſt in ipſa laccus ripa/qua parte mincius fluuius exoritur:Oppidani cũ Reginã appropinquare intel lexiſſent coronis ac ſertis redimiti oẽs/incondita quædã car/ mina p̃cinentes / ac ruſtico more ad tibiaꝝ ſonum ſaltantes/ ei obuiam ueniunt:atq; ita cũ maxima hominũ frequentia/

in quoꝝ numero multi ꝑclari uiri erant/qui iã tũ ex Verona eius honorãdi grã Senatus cõſulto uenerant:Cõpluresq; Bri xienſes/q cũ urbis ꝑfecto ipſam Veronã uſq; comitabant̃/in oppidũ ducit̃:Cõuiuiũ magnificẽtiſſimũ ipſi ac reliqs oib9 Veneto ſumptu parat̃:Oppidani ac cæteri oẽs/qm̃ ita publi co decreto cõparatũ erat/nihil intentatũ reliquerunt/quĩ oĩa facerẽt/ quæ in gratiã atq; honorẽ Reginæ forẽt. Duodeci/ mo aũt cal.Aug.eam Veronenſis ciuitas quartadecima diei hora ſuſcipit:quæ qdẽ ſicut gratia loci/amœnitate cœli/fre quẽtia ciuiũ/ac uetuſtate/inter primas Italiæ urbes clariſſi/ ma eſſe cenſet̃:ita magnificentiſſimos/& nullius rei ꝑter q̃ laudis ac gloriæ cupidos alit ciues:Hi itaq; alacres oĩs/cõfe ſtim priuſq̃ Regina urbẽ ingrederet̃ maximo cũ apparatu ſolẽnẽ pompã explicant/cũq; ipſo urbis ꝑfecto ad qntũ uſq; lapidẽ ei obuiã tendunt/ atq; ipſam ſummo cũ honore ſuſci/ piũt:Iuuentus oĩs uno ordine coccineis ueſtibus culta/coro/ niſq; redimita/ pulcherrimũ aſpectum ꝑbebãt:Nobiliſſimæ quoq; matronæ auro & gẽmis exornatæ/mirã quãdã pulchri tudinis faciẽ ꝑſeferebãt:Vigĩti ꝑter ĩnumeros alios ante Re ginã currus oẽs aurea ueſte ſtrati/in qbus honeſtiſſimæ atq; pulcherrimæ fœminæ uehebant̃/ ꝓdibãt:Magna ꝑterea di/ uerſoꝝ hominũ copia/ ipſam circũquaq; ita cingebãt/ ut uix ipſe cãpus/qui latiſſimus eſt extra urbis mœnia/tantũ hoĩum numerũ capere uideret̃:Multi.n.aderãt ſimul cũ ipſo Bri/ xiæ ꝑfecto/& ſuperuenerãt cõplures ex Vincentia cũ præ/ tore/qui Veronã uſq; Senatus decreto Reginæ aduentũ pre ſtolabant̃:Confluxeratq; ingens undiq; incolaꝝ multitudo: ipſa grandi ſtipata caterua inter proceres ſuos ibat/equo ſe/ dens phaleris atq; ephippiis precioſiſſimis ſtrato/ atq; ita ſub umbella aurea/quã equeſtris ordinis uiri ac litteris clari fe/ rebant in urbem ducitur:per compita/ per uias/ per delubra

oia uaria odoramẽtoꝝ genera conflari/ plurima laurus ĩmix ta hedera & myrto:poſtes feneſtraſq; domoꝝ exornare / pue ri lætãtes plaudere/ tibicines cytharedi ac muſici oẽs pulcher rimos ſonos cãtuſq; meditari:Poſtq̃ igiť in ꝑtoriũ uentũ eſt / in reginæ aduẽtũ opulẽtiſſime inſtructũ / magnificẽtiſſimo epulaꝝ apparatu eã excipiũt/ in quo ſane defuit nihil / quod ad regalẽ luxũ ꝑtineret.Cæteri item reginæ comites domeſti catim pro cuiuſq; dignitate hoſpitaliter & ꝑbenigne tota ur be habiti.Eo die regina / quoniã flagrãti ſydere / in tãta offi cioꝝ frequentia æſtuarat / curãdo corpori operã dedit.Ergo diebus ſequentibus urbis magiſtratus & ipſi ciues/ ut ꝑteriti diei iacturã reſarcirẽt/ ꝑ uaria ſpectacula totũ biduũ exegere/ quo tꝑe frequẽs matronaꝝ affuit numerus / multaq; ꝑ nobi liſſimos iuuenes ædita ſunt gña ſaltationũ.Mimi itẽ ꝑſonati uarios luſus quos uulgo mimaria appellãt ædiderũt:ac demũ ſũptuoſiſſima fercula addita ſunt ex bellariis:quæ melle fieri ſolẽt ex harũdinibus collecto. His ita magna cũ lætitia pera ctis/ regina poſtridie Suauiũ magno comitatu petit:qđ oppi dũ credere dignũ eſt / ita ab amœnitate loci eſſe nũcupatũ. Sitũ eſt.n.medio ĩter Veronã atq; Vincẽtiã uiæ ſpacio:pul cherrimi collis cliuo/quẽ undiq; multæ frugiferæ arbores am biũt/ĩter quas uineæ atq; oleæ primũ locũ tenẽt:Ibi quoq; ſi cut aliis Venetæ ditiõis locis Veneto ſũptu ſuſcepta/mirifice oblectata eſt/ cũ cœli gratia/tũ q̃a ab ipſo oppidi ꝑfecto/ atq; ab oppidanis ſummi honores ei ꝑbiti fuere. Deinde octauo cal.Aug.quinta & decima diei hora Vincẽtiã uenit:quæ q̃dẽ ciuitas/licet Veronæ atq; Brixiæ ſit magnitudine impar:ſplẽ dore tñ & gloria ciuiũ/haud ſane habeť illis inferior:Igiť ne in tãta occaſiõe Vincẽtini ab aliis uincerenť/oĩa honoris offi cia i ea ſuſcipiẽda/quæ ab eis ꝑſtari poterãt certatim exhibue rũt:Præſides uero urbis nulli ſumptui parcẽtes/omni cura ac

diligētia ꝓcurauerūt ut ipa eiuſq; comites lautiſſime excipe rent: Ad hæc ſolēnes ludos decernūt, ī qbus uaria ſaltationū genera ædita ſunt. Deniq; adeo ipſam multiſariā oblectaue/ rūt: ut eius ore auditū affirmēt ſe haud ſane unq̄ Vincētinæ urbis immemorē futurā. Sexto autem cal. Aug. cū reginæ aduentū patauii magrātus opperirētur: Ipſe p̄fectus cū mille eqtū numero & peditū duorū miliū in qbus flos ipſe inerat ciuitatis Vincētiā uſq; ꝓgredit̕ eā iā iter ingreſſā extra mœ nia cōperit oēs ex eqs diſiliāt iubet ipſe quoq; pedes Senat9 noīe eā ſuſcipit. Deīde equo ei9 hortatu repetito cū aliis iter ſequit̕. Pulchrū erat uidere oēs ſuo quēq; ordine tēdere: Gal lorū ꝓceres ferme ſexcēti numero torq̄ti auro oēs ibāt: Pāno nii duces eqs inſignes compta coma in morē laconicū atq; eo amictu quo in præliis utuntur: Patauina iuuētus Lauro ca/ put redimita / ſericaq; ueſte auro atq; argēto cōtexta ꝑfulge bat: Ita incedentes effuſa etiā undiq; maxima agreſtiū homi nū multitudine / ad exhibendos honores / ac uias obſidēte ad tertiū lapidē ꝓpinquū patauio urbi ꝑueniūt: quo item loco prætor urbanus / cū uniuerſis ciuitatis ordinibus eius aduē tū expectabat: ac ſimul etiā cū ipſo aderāt / ſex regis Hunga riæ oratores / præter alios tris / qui uſq; ad italiæ fines iuerāt / ut reginā ſuſciperēt miſſi ſecūdo loco cū ſexcētis eqtib9 miri fice iſtructis: Nec nō patauinæ matronæ auro & gēmis one ratæ / & in his qnq; & Viginti currus aurea ueſte contecti re ginæ obuiā ꝓceſſere: Cū hac itaq; ſolēni pōpa / cūq; maxima ordinū oīum lætitia ac populi plauſu / intra portā urbis reci pit̕ / ipſo urbis antiſtite / & uniuerſo collegio ſacerdotum atq; doctoꝝ hoīum comitāte / qui qdē frequētes numero erāt atq; īſignes / ꝓ ut par eſt dignitati ac magnitudini eius urbis / quæ nunc uelut alteræ athenæ in italia / p̄clara ingenia / ac lr̄aꝝ fo uet ſtudia. Regina in prætorio regali apparatu ſuſcipit̕: quæ

primũ pactis de more gratiarum actionibus deo opt. max. in quo dã ptorii ſacello: deinde prãdio/ qđ ei magno atq; honorifico ſũptu paratũ erat/ accubuit/ ita faciũt cæteri oẽs: atq; ita iter maxĩos plauſus canẽtiũ pſalẽtiũq; iuuenũ ac fœmiarum/ & uarios mimorum luſus/ perductus eſt ille dies. Poſtridie illius diei primũ omniũ in diui Antonii tẽplo / qđ porro ueneratiõe ac pulchritudine in primis eſt illuſtre/ regina ſolẽnibus ſacris interfuit: poſt meridiẽ ad ſpectaculũ pceſſit/ quod ei magnificẽtiſſimũ rectores urbis parauerãt/ in quo pter uarias ſaltationes/ ac uarios mimorum luſus/ allata ſunt multa bellaria ex ſaccaro cõfecta/ multaq; ſpectacula facta. Reliqs aũt diebus Pãnonii duces/ qui cũ magno numero equitũ aderãt/ ſeſe i equis atq; armis auro atq; argento affabre facto pene contecti oẽs/ maxĩo cũ ornatu reginæ oſtẽderũt/ agmẽ ſeruatis ordinibus agẽtes/ nõ ſecus ac ſi eſſent tũc ipſis cũ hoſtibus pugnaturi: qđ ſane ſpectaculũ maximũ uirilitatis atq; pitiæ militaris illorum hominũ ſpecimẽ pbuit. Interea appetente iã die/ quo deniq; regina Venetã urbẽ adiret/ Venetus Senatus/ qui iã antea oĩa maximo ſumptu parauerat/ oẽm cõſuetũ honorãdi diei illius modũ/ adeo exceſſit: ut multi ſint/ qui haud aſſerere dubitent/ nõ modo tpibus nr̃is/ ullũ unq̃ tã pulchrũ ſpectaculũ eſſe uiſum: ſed ne fortaſſe etiã Romanorum tpibus/ licet eorum gloriam ſcriptores uſq;quaq; illuſtrẽt. Quod ſi pfecto Aurelius Auguſtinus quẽ inter alia mirabilia cõſtat/ cupidũ fuiſſe ſpectandi Romani triũphi/ diei illius põpã atq; apparatũ uidiſſet/ fortaſſe haud ſecũdo loco huiuſmõi Venetorum ſpectacula hũiſſet/ quæ licet ĩproprie/ tñ a quadã triũphali ſimilitudine/ triũphos appellare libet. Nã q̃q̃ haud cõferẽda ſit ciuitas nr̃a/ cũ magnitudine impii/ uictoris quõdã gentiũ populi Romani: tñ nouitate quadã loci/ ac ſitus oportunitate/ uel p ſe ſola miraculo eſt uniuerſo orbi. Nullã. n. aliã unq̃ legimus ciuitatẽ/ ita

fuiſſe medio mari poſitã / atq; ita ab omni parte aquis naui/gabilibus repletã/ac circũdatam/ut homines quacũq; uellent per mediã urbẽ/tã mari q̃ terra undiq; pertrãſirẽt: Non mirũ igit͛/ ſi tã ſpecioſi uident͛ eſſe triũphi/qui a Venetis in ſuſci/piendis principibus exhibent͛/ ſi preter maximos ſumptus/ quos faciunt/ipſe etiã locus admirationẽ rebus adiũgat. Illo itaq; die qui fuit pridie cal. Auguſti/primũ p̃miſſi ſunt a Se/natu q̄nq; milia paſſuũ ab urbe/ quo loco naues/quæ ex me/duaco fluuio ueniũt/ ſupato fluuii aggere p terrã traiiciunt͛/ centũ patricii ordinis uiri/oẽs unũ in morẽ oloſericis atq; pu niceis ueſtibus induti/qui Reginã ſuſciperent: quo poſtq̃ ſe/cundo flumine eſt deuecta/maximo nauiũ numero/atq; a Pa tauii præfecto comitata / ipſam illi ut mos eſt reuerenter ſu/ſcipiunt / ex quibus unus Angelus Chabrielis Silueſtri filius apud illam in hunc modũ Senatus nomine uerba facit.

c Redo equidem Anna Regina Illuſtriſſima diuinitus potiuſq̃ humano cõſilio factũ/ ut hoc tẽpore/quo ciui tas noſtra/ ppetuo atq; inuiolabili iungit͛ fœdere/cũ chriſtia/niſſimo frãcoꝝ Rege/ cũ quo uel tu ĩ primis maximã habes affinitatẽ/electa in ſponſam fueris a Ladiſlao Sereniſſi. Hun gariæ atq; Boemiæ Rege/Reginaq; ĩ eius regnũ uotis oĩum aſcita ac nũcupata: Nã ſi licet nobis diuini cõſilii rõnẽ altius pſcrutari/qs hoc põt negare͛ Deũ opt. max. qui generis hu/mani tutelã gerit/ cũ ſuã religionẽ iã feſſam labãtẽq; ĩtueret͛/ uoluiſſe ad imaginẽ cœleſtis eius tripartiti ac indiuidui nu/minis/facere itẽ/ut nũc duo potẽtiſſimi reges/ ſimul cũ nr̃a re pub. nexu triplici atq; indiſſolubili copularent͛: cũ ut rectius in terris fidẽ ac pietatẽ hoĩes colerẽt: tũ ut chriſtiani noĩs ho ſtes/qui iã plus nimio inualuerũt / quaſi debacchãtes infrin/geret: qua ĩ re ille mũdi oppifex/ reꝝ oĩum cõſultor optimus nullũ meliorẽ repit modũ; q̃ ut te reginã regio gener ortã ori

undãq; in terris ꝓduceret/& nũc ĩ magnũ imperiũ mitteret / ut tua fide / cõſtãtiaiuſticia / ꝓbitate/ animi altitudine/ mode ratiõe prudẽtia/grauitate/humanitate/clemẽtia/ liberalitate/ac reliqs tuis uirtutibus / que uniuerſũ orbẽ uſquequaq; illuſtãt/ ſic iſtos ĩgẽtis ſpirit9/atq; ĩgẽtis potẽtiæ reges cũ nr̃a repub. conciliares/ut nihil niſi ſanctũ/rectũq; atq; amabile inter eos atq; nos unq̃ eſſe poſſit:Qui quidẽ ita chriſtianũ proferãt no mẽ /ut uictricia ſigna ũdiq; circunferãt/& pacẽ lætitiãq; paca to orbi tribuãt/ſicut iãpridẽ oẽs frãciæ atq; Hungariæ iuictiſ ſimi ac chriſtianiſſimi reges fecerũt:& nũc potiſſimum Ladi ſlaus ſpõſus tuus rex ĩclytus facit:qui poſtq̃ nobiſcũ ſanctiſſi mũ iniit fœdus / ut bellũ aduerſus ĩmaniſſimas ac potentiſſi/ mas turcaꝝ nationes cõmuni periculo gereret/eas multis prœ liis fudit & ꝓfligauit: Myſiã oẽm ſuperiorẽ ferro igni ac po pulatiõibus deuaſtauit: & nũc poſtremo loco / ut tã felicibus auſpiciis q̃ par erat/regina in eius thalamũ ĩgredereris/uictri ces nuper ex Hungaria litteræ uenerũt/qbus nobis ſignifica/ tũ eſt/ ipſũ cũ exercitu ſuo magnas hoſtiũ copias apud Giai/ zã urbẽ/quã illi obſederant fudiſſe/caſtra eoꝝ diripuiſſe/ nobi liſſimos quoſq; duces inter quos ipſius imperatoris Scanderi filius eſſe cenſetur / uiuos cœpiſſe: ferociam deniq; illoꝝ / qui nobis exitiũ minabantur accerrime cõtudiſſe. Quare nõ im merito uniuerſa ciuitas nr̃a/tãta pfuſa eſt lætitia/ut uix capere animis inexplebile gaudiũ poſſit:quod ſibi contigerit ut tu re gina Sereniſſima ei9 ſpõſa/quæ nũc in tãta occaſiõe ad glorio ſiſſimas eius nuptias & ad coronas capeſſẽdas ꝓficiſceris / di gnata ſis p Veneti imperii ditionẽ facere iter tuũ /Venetamq; urbẽ innuiſere: Nã qd p deũ ĩmortalẽ maius ad gloriã urbis noſtræ addi potuiſſet / q̃ eã hodierno die in tãta clariſſimorũ uiroru m celebritate/tãtaprincipũ ac ducũ copia/qbus ſtipata incedis / etiã p̃ſentia tua ac pulchritudine/qua cũcta uelut ſolis

iubar illuminas decorari? Præmiſit itaq; nos huc quos uides Senatus noſter/ ut eius noie te ſoſpitē atq; icolumē iā multū uia℞ ſpaciū emēſam /aduenîſſe gratularemur: ſimulq; ut tuā maieſtatē /ea qua decuit reuerētia ſuſcipemus/ ne ullū hono/ ris aut officii genus/ pro ſua incredibili erga te ac reges tuos obſeruātia atq; beniuolentia/ q̄tenus opes nr̄æ ſufficiūt p̄ter/ mitteret̄: Nā mox ipſe Priceps cū uniuerſo Senatu ac popu lo aderit/ut te q̄to maxio fieri pót apparatu atq; triūpho i ur bē ducāt. Quod ſi ipſa tecta urbis & mœnia reuelli a funda mētis potuiſſent/ſi hoc natura ipſa pateret̄/nō diſtuliſſent/qn ea ēt quot quot ſunt ad te ſuſcipiēdā ueniſſent: Quod qm̄ fi eri nō pót. Reliquū eſt Regina glorioſiſſima ut hæc ipſa offi cia/nō tā pro tua magnitudine/ q̄ quo aío tibi exhibent̄/ me/ tiaris/opes nr̄as omnis/facultateſq; tibi pollicearis. Nos qui/ dem linguis animiſq; Deū opt. max. precamur/ut his p̄ſperis initiis re℞ tua℞ uberiorē in dies felicitatis cumulū/ & iucū/ diſſimā tibi regiq; tuo /obolem/ ſecūdioreſq; ſemp̄ ſucceſſus/ & fortunam hylariorem adiungat.

q Vi poſtq̄ dicēdi finē fecit/ac ipſi Reginæ noīe rn̄ſum fuit/ Oēs ſimul uſq; ad diui Georgii iſulā cymbis ue nerūt:ubi rurſus cōplures ſenatoresq; ſimul cū ingēti hoium atq; nauicula℞ multitudine aderāt/eā publico noie recipiūt/ ac nauib9platis ad hæc munia publicitus p̄paratis atq; iſtru ctis/uſq; ad diui Cataldi & Blaſii ſacellū/quod in extremo eſt margine ciuitatis p̄ducūt/quo quidē loco ipſe Priceps ſimul cū p̄rib9 bucētauro nauí uectus/quæ tota ſupra uerticē ſeri co pāno cōtecta/ac intus tapetib9 exornata plena erat matro nis auro gēmiſq; ac omni mūdo muliebri mirifice excultis/ Reginā lætus atq; hylaris ſuſcipit/q̄d ſoſpes atq; icolumis ad uenerit gratat̄/Oia/quod p Venetū Senatū fieri poſſit/ei pol licet̄:regina e cōtra pro tp̄e ipſi humaniter gr̄as agit/ atq; ita

ſecū una bucētaurū cōſcēdit: Tū uero ingēs exortus eſt nautaꝝ cōſalutantiū/& populi plaudētis clamor/qui ſupraq̄ dici pōt frequēs erat: Nemo.n.eo die ex tā īfinita ciuitatis multitudine domi ſe tenuit/qn oēs aut ī cymbis eſſent/aut loca oīa occuparēt/q̄tū uiſuris ſufficerēt/qua ei9 trāſitus futurus erat: Ad hæc īgēs hoīum multitudo ī nauiculis ex ꝓximis inſulis atq; ſuburbiis cōfluxerat: Ipſa uero ciuitas triremes & biremes cū caſtellis & turrib9 armatas/ī qb9 multa ſpectaculoꝝ gn̄a edita ſūt: necnō īfinitū pene ſcaphaꝝ numeꝝ uariis modis pictaꝝ atq; exornataꝝ/quæ uulgo haud inepto uocabulo palaſchemata dicunt/multaſq; celoces/phaſelloſq;/& alia id gen9 pene īnumera ꝑparauerat: quoꝝ tāta copia erat/adeoq; ipſū mare occupauerāt/ut nihil aliud cerneres q̄tū acies oculoꝝ tēdebat/licet late pateret ea parte ipſius ſtagni facies: Tātus ꝑterea cōcentus fiebat/diuerſitate uocū ſonoꝝq;/qui uarii atq; multiplices in ipſis nauibus erāt/ ut uelut ad imitationē cœli mirā quādā atq; ꝓpterea inauditā redderēt harmoniā. Añq̄ bucētauꝝ a littore ſoluerēt/Regina prius ſua ſede alta ī puppi collocata/ac oīb9 ſuo ordine diſpoſitis/ne qd magnificētiæ deeſſet ī tāto ſūptu atq; apparatu/omnifariā obſonia ex ſaccaro cōtulerūt/quæ aureis atq; argēteis uaſis tercētū cōdita/ mirā q̄dā pulchritudinē ꝑſetulerūt/ac ī ſtuporē oīum aīos cōuerterūt: Nā ꝑter īmenſum auri atq; argēti pōdus/pulchrū erat ītueri/uaria gn̄a aīaliū ex ſaccaro fabrefacta/quæ ꝓpemodū uiuer̄ uidebant. Cōſūptis illis oībus atq; ibidē ſparſis/nauim ſoluerūt/quā oēs aliæ circūquaq; ambibāt/in qbus uaria ludicra ſpectaculaq; agebāt: quoꝝ ut par eſt multitudo atq; magnificētia minime narrari pōt/in oībus/quæ qſq; excogitauerit uel artiū factis/uel diuitiaꝝ opib9/uel naturæ nouitate: Nā ferme oīa/quæ ingenio humano excogitari/& quæ uires opeſq; ciuitatis ꝑſtare potuerūt/ſūt eo die magno ſtudio pq-

ſita/Siq̃dẽ in ipſa bucẽtauro matronæ ante Reginã ſimul cũ nobiliſſimis iuuẽib9/ad tibicinũ atq; cornicinũ ſonũ pulcherrimos choros duxerũt: In aliis aũt nauib9/in qb9 plurimi mimi pſonati erãt/ueſtiti auratis ueſtib9 mirũ ĩ modũ/armatiq; atq; inermes pyrrhicas ſaltatiões uariaq; cantica / ſumma cũ omniũ admiratione ſaltauerũt: Ad hæc ipſæ triremes biremeſq; uelut ĩ ſpeciẽ pugnæ armatæ ſimul cõcurrere/ in qbus ipſæ armatoꝝ acies inſtructæ inerãt/quæ ad ipſoꝝ caſtelloꝝ ac turriũ expugnationẽ accinctæ eſſe uidebãt᷑: in quo porro pugnæ ſimulachro/oĩa opa ad muſicã rõnẽ/ cantu ſonoq; mirabili artificio cõpoſito repñtabant᷑: Ita p mediã urbẽ bucẽtauro deuecta/aſtãte maxia hoĩum multitudine/ab utraq; canalis magni pte: effuſis paſſim uiris ac fœminis cuiuſq; ætatis/p domoꝝ tecta & p feneſtras/quæ ſertis atq; tapetibus in morẽ pulcherrimi theatri exornatæ erãt: reſonãtib9 undiq; p totã urbẽ cãpanis: bõbardiſq; maximo ſonitu reboãtibus: ac oĩbus quod felix ac fauſtũ eſſet acclamãtibus/tãdẽ diei hora quarta & uigeſima ad eſtenſes edes/ quæ iãdudũ ĩ eius aduẽtũ publice inſtructæ erãt/puenit: eã e naui deſcẽdẽtẽ ipſe Princeps cũ uniuerſo Senatu/uſq; ad eius thalamũ comitat᷑/poſt mutuas gr̃aꝝ actiões/recedit/atq; ita diei illi9 finis fuit. Poſtri die ludi fieri cœpti. Primũ certamẽ editũ eſt cymbulaꝝ/quæ leuiſſimæ ſũt ac miræ celeritatis/ut pote ad curſũ atq; ad uſũ ſpectaculoꝝ tm̃mõ cõparatæ: qd̃ qdẽ dupplex fuit ac bipartitũ: Primũ.n.fuit fœmiaꝝ/quæ ſane pulcherrimũ ſpectaculũ p̃buerunt: partim inſolita quadã rei nouitate / quod fœminæ etiã in ipſo mari uirilia officia attingerẽt: partim pp peritiã ipſaꝝ in remigãdo: dũ maxima ui atq; dexteritate agerent tã leues cymbas/nõ ſecus ac peritiſſimi ĩ ea arte uiri. Alteꝝ fuit uiroꝝ / qui mirã quandã fortitudinis ac nauticæ diſciplinæ ſpeciẽ oſtẽderũt: Nudi erãt oẽs oleoq; perũcti/ tãtoq; impetu

atq; impulſu ipſas agebāt/ut curſus eaꝝ uiſum falleret:q qdē
oēs nō ſine maximis ꝑmiis ab ipſo Senatu cōſtitutis dimiſſi
ſunt. Tertio die factū eſt aſtiludiū nouæ atq; inuſitatæ faciei:
Viri armati inermeſq; ſed tn̄ magnis cōtecti ſcutis/haſtas ſine
cuſpide gerētes/pro puppi ſtantes ſub quodā tabulato/ quod
paulū extra ipſas cymbas ꝓminebat/ſimul concurrebāt/ qui
ictum nō ſubſtinētes / in ipſo mari cadebāt:quod porro ludi
crū mirū in modū riſum oīum mouit. Quarto die Regina
urbē inuiſit/Diui Marci tēplū adit/theſauros ſacrario recōdi
tos ītuet' /publicū nauale uidet. Quito duo milites Pānonii
armati atq; haſtati ī eqs ī marciana area cōcurrerūt/ inſpectā
te Regina/ſimul cū Pricipe ac uniuerſo Senatu/q ſolēni ſpe/
ctaculo nō multo prius īterfuerāt/quod ī comitio fuerat ædi
tum:in quo certe nō parua affuit copia matronaꝝ/& iuuenū
nobiliſſimoꝝ/q uaria ſaltatiōis genera ediderūt:ac uaria ludi/
cra/multipliceſq; repn̄tatiōes/ſi unq̄ alias maxīo ſūptu atq; ap
paratu exhibitæ ſūt:inter quæ alia/totū repn̄tatū ē bellū tro
ianū: Vt Paris ab initio deas iudicabat:quēadmodū mari ue
ctus ſpartā adibat:Helenē ſecū aſportabat: Vtq; poſtea ī auli
de Græcoꝝ exercitus congregaret':Iphigeniaq; pro cerca ab
Agamēnone īterfecta calcāti traderet':Græcoꝝ & troianoꝝ
acies ſimul pugnarēt:Iliū poſtremo dolo capet':quæ oīa mi
ro artificio cōfecta/mirā quādā hiſtoriæ ſimilitudinē exprime
bāt/atq; ita ſinguli actus muſica q̄dā rōne/ad tibiaꝝ ſonū age
bant'/ut certe ſupra ingenii humani uires ſpectaculū illud fi/
eri uideret':Aderāt.n.equi/uiri/arma/naues/ciuitates/tormēta/
currus/machinæ/ atq; alia īnumera huiuſmōi īſtrumēta/ quæ
artificioſiſſime mouebant'.Ad hæc ſūptuoſiſſimū atq; lucu/
lentiſſimū oīum corollariū addiderūt/hoc ordine:Primū īnu
mera tubicines claſſicū canētes p̄ibant:Deinde tympaniſtrii
bellicū in morē obſtrepētes ſequebant':Tertio loco uaria ſi/

mulachra animaliũ ignotæ ſpetiei miraq; magnitudinis atq;
ꝓceritatis ferebãť/ita cõpoſita atq; cõſtructa/ut flare atq; euo
mere ignẽ ab ore/oculis/naribꝰ/atq; auribꝰ uiderẽť:poſt hæc
gigãtes aliquot armati uelut pugnaturi ĩ curribꝰ ab elephãti
bus uehebanť:Poſtremo q̃dringẽti miniſtri bellaria& ſigilla/
totidem uaſis aureis atq; argẽteis ĩ uarias formas aĩaliũ ex ſac
caro artificio mirabili cõfecta/ſublatis manibꝰ portabãt:quæ
oĩa ſuꝑ pulpitũ ĩ quo regina erat/atq; ĩ uniuerſũ populũ ſũt in
comeſſationem data: Deniq; ut ab omni parte honoratꝰ dies
ille foret/regina cũ ſũma oĩum admiratiõe/ſimul cũ uno ſuoꝝ
ꝓceꝝ ſemel choreã duxit.Sequentibus aũt diebus q̄bus in ur
be mãſit/oĩa honoris officia/ac oblectamẽtoꝝ genera/quæ ab
uniuerſa ciuitate exhiberi potuerũt/certatim ei p̃ſtita ſunt:pre
ſertim a muſicis atq; a cãtoribꝰ/qui uariis cõcẽtibꝰ/eã uſque
quaq; oblectare cõtẽdebãt:ĩ q̄bus Petrus de foſſis homo p̄ter
alias eius diſciplinas in arte muſica multæ celebritatis/hoc re
ginæ carmẽ ab Harmonio noſtro cõpoſitum/ſub octonarii
numeri figura/quæ ſolidum corpus efficit ſuauiſſime decan
tauit/ac poſtea ipſi compoſitionem eius dono dedit.

O noua Pannoniæ conſors regina coronæ/
Felix perpetuæ ſit tibi laudis iter:
Sic tua te memoret/ſic ſemper uerſet in ore/
Gallia diſceſſu quæ modo mœſta tuo eſt:
Vt tibi nunc cupio felicia tempora/quæ te
Detineant dulci legitimoq; thoro.
Accipe nunc igitur noſtræ modulamina muſæ/
Quod tibi propenſo carmẽ ab ore uenit:
Scimus.n.quanto uenientem excœpit honore
Italia/aſpectu facta beata tuo.
Brixia lætata eſt/lætata eſt ipſa catulli
Patria/quæ laribus te tenuere ſuis.

Altius intumuit/cum te ſpectaret euntem
  Mincius & nymphæ deſeruere laccum.
Obuia decurrit longis Vincentia pompis/
  Q uaq; aderas illa parte ſequutus amor.
Exiuere nurus complexum Antenoris omnes/
  Diſtulit officium docta caterua ſuum.
Q uid referam Veneti pompam ſpeciéq; triumphi?
  Q uem ſtupuit cernens æquoris ipſe pater.
Dum mediam incedis centauro uecta per urbem/
  Redditur & ripa nomen utraq; tuum/
Dependetq; tibi populus ſpectator eunti/
  Puppis & in uitreis plurima ludit aquis/
Et medium opperiens cymbis nigrantibus æquor/
  Concinit Anna puer/concinit Anna ſenex
Ipſe ego compoſitis demulcens cantibus auras
  Optabam faciles in tua uota deos.

h Aec ſunt Iuſtiniane cariſſime / quæ tibi ut morem gererem recenſui/ut qm̃ præſens ea uidere non po/tuiſti/ abſens legas: quæ ſi tibi digna eſſe uidebunt/ ut legantur/cõmunia facies clariſſimo collegæ tuo Ioãni Baduario/quẽ ego hominẽ pp ingentes eius uirtutes/atq; ornatiſſimos mores maximi facio atq; obſeruo. Reliqua aũt/quæ in digreſſu reginæ facta ſunt/ Q uæ quidẽ ab urbe diſceſſit/ .XI.cal.Septẽb.atq; in hillyriũ traiecit claſſe per Senatum noſtrum cõparata ac uiatico proſequuta/qua breuiſſimus eſt in Pannoniã tranſitus/ alii ſcribant. Vale Venetiis.VIII. cal.Septẽb.M.D.II.

Impreſſum Venetiis per Bernardinũ Venetũ De Vitalibus
Anno Dñi.M.D.II.Die Primo Menſis Septẽbris.

XXY
94-B17885
THE GETTY CENTER
LIBRARY